



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 726. Usque Ad Annum 813

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1760**

**VD18 90117859**

§.10. Vis contra Leonem Papam adhibita.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66091)

*strum Hadrianum a Rege missus, in custo-* Sæcul. VIII.  
*dia banc professionem Fidei Catholicæ* A. C. 799.  
*scripsit, eam super Divina Mysteria in*  
*Palatio nostro Patriarchali, & deinde su-*  
*per Corpus S. Petri deposuit, juramento*  
*affirmans, se ita credere. Sed postea ad*  
*paganos profugus juramentum violavit.*  
 Nempe in Hispaniam ad Musulmannos  
 redierat. Tum Papa profequitur: *Ne*  
*quidem Concilium præsentè Rege Carolo*  
*celebratum, in quo damnatur, reveritus*  
*est.* Nempe Concilium Francofordien-  
 se. In tertia Actione Papa in Felicem,  
 nisi Hæresim abjiciat, excommunicatio-  
 nem pronunciat.

§. X.

*Vis contra Leonem Papam adhibita.*

**H**aud longo post hoc Concilium elapso Anast. to. 7.  
 temporis spatio, in Festo S. Georgii Conc. p. 1079  
 vigesima tertia Aprilis, anno septingen-  
 tesimo nonagesimo nono, in Ecclesia il-  
 lius Sancti denunciata Litania majore, Ann. Egin.  
 scilicet, solemnè Supplicatione, quam post 799. Loisel.  
 biduum in Festo S. Marci vigesima quin- an. 799.  
 ta Aprilis inchoari, & in Ecclesia S. Lau- v. Coint. an.  
 rentii Lucinæ, ubi Missa celebranda erat, 799. n. 21.  
 terminari oportebat, cum Leo Papa equo &c.  
 vectus hujus Cæremonia causa ex Pala- Theoph. an. 7  
 tio Patriarchali exiret, occurrit ei Pascha-  
 lis Primicerius sine Planeta, quamvis illa  
 uti hoc die decuisset. Veniam petiit  
 Pascha-



Sæcul. VIII. Paschalis dicens, quod esset infirmus. Re-  
A.C. 799. cepit excusationem Papa, & ille, atque  
 etiam Campulus Sacellarius eundem comitabantur, amicos in speciem sermo-  
 nes miscentes. Erant vero Hadriani  
*Const. p. 399.* Papæ propinqui, & contra Leonem con-  
 jurationem inierant. Ubi ad portas Mo-  
 nasterii S. Stephani & S. Silvestri a Paulo  
 Papa fundati ventum, prorumpunt ex  
 insidiis armati, & in Pontificem irruunt.  
 Fideles inermes & ad orationem com-  
 parati diffugiunt. Grassatores vero Pa-  
 pæ manus injiciunt, & terræ affligunt  
 Paschale ad caput & Campulo ad pedes  
 stantibus. Vestes jacentis dilacerant,  
 oculos evellere & linguam præscindere  
 conantur, & media in platea projiciunt,  
 putantes eum cœcum & mutum fuisse  
 effectum.

Verum paulo post iterum adsunt Pa-  
 schalis & Campulus, Papam in Ecclesia  
 Monasterii ad Altare raptant, rursus o-  
 culos linguamque eruere nituntur, fu-  
 stibus cædunt, dilaniant, & in suo sangui-  
 ne volutum relinquunt. Mox in eodem  
 Monasterio arctæ custodiæ tradunt. At-  
 timentes, ne inde a viris probis eriperetur,  
 clam noctuque S. Erasmi Abbatem ad  
 se accersitum ad Monasterium S. Silve-  
 stri mittunt cum cohorte armatorum,  
 qui Papam eadem nocte inde eductum  
 & ad Monasterium S. Erasmi translatum  
 in



angustum carcerem detruserunt. Et ec-<sup>Sæcul. VIII.</sup>  
 ce, quamvis magnam vim tulisset Leo, A. C. 799.  
 non tamen oculorum aut linguæ usu ca-  
 rens inventus est; quod non sine prodi-  
 gio factum crediderunt.

§. XI.

*Leo ad Carolum proficiscitur.*

Interim Albinus Papæ Cubicularius a-  
 llique Viri fidem servantes, captivum  
 e Monasterio liberatum, & per murum  
 Civitatis demissum ad S. Petrum dedu-  
 cunt, ubi Virundus Abbas Stabulensis,  
 Regis Caroli Legatus versabatur.

Papæ inimici in rabiem versi, quod  
 manus eorum evasisset, ejus Albinique  
 ædes diripiunt. Tunc vero Vinigisus  
 Dux Spoletanus, comperto, quod Papa  
 in Basilica S. Petri esset, cum exercitu  
 illuc contendens volentem Spoletum  
 transtulit. Ibi cum multi Romanorum  
 amici ex diversis Civitatibus ad eum  
 confluerent, Papa animo constituit ad  
 Carolum Regem proficisci. Iter facien-  
 tem Episcopi, Cleri Romani pars, & Ci-  
 vitatum Optimates comitabantur, &  
 postquam nunciatum fuit Regi, Papam  
 venire, misit obviam Hildebaldum Ar-  
 chiepiscopum Colonensem & Archica-  
 pellanum cum Anschario Comite. Po-  
 stea etiam Pipinum Filium secundo ge-  
 nitum, Italiae Regem misit cum aliis Co-  
 miti-